

VALE, GRATE PASSER.
AD CATULLI C. 2B ADNOTATIO

*tam gratum est mihi quam ferunt puellae
pernici aureolum fuisse malum
quod zonam soluit diu ligatam*

Hos uersus, qui in codicibus post uersum 10 Catulli carminis 2 sine ullo interuallo scripti leguntur, iam litterarum renascentium aetatis philologi a superioribus separauerunt.¹ Quam diuisionem cum postea plerique uiri docti approbassent, semper tamen erant, et quidem non pauci, qui fragmentum illud partem carminis 2 esse contenderent. Quo facilius autem hi tres uersiculi anterioribus iungerentur et quo nemo talis coniunctionis syntaxin in dubiis ponere quiret, uarie textum emendarunt. Itaque Vossius *possem* in *posse* correxit, ut locutio *tecum ludere sicut ipsa posse* a *gratum est* regeretur, Housmanus uero *passer* loco *posse* legere maluit; quae coniecturae idem fere ualent:

*tam gratum est mihi tecum ludere posse (uel: tecum ludere, passer),
quam (sc. gratum) fuit puellae pernici (= Atalantae) aureolum malum,
quod soluit zonam diu ligatam.*

Quod, ut mihi persuasum est, nequaquam accipi potest, non solum quia, si Catulli textus re uera talem haberet formam, actio repentina inopinataque, ad quam in fragmento 2b alluditur, cum diutius duraturoque statu compararetur (ut recte Thomson animaduertit²), sed hac praecipua causa, quod plane contrarium ei, quem expectamus, exhiberet sensum. Si enim Catullus, ut quidam uolunt, re uera se hic *puellae pernici* (= Atalantae) compararet (quod ipsum ualde mirum non esset, nam etiam alibi se mulieribus conferre solet, puta 68,138–140), hoc significaret opportunitatem ludendi cum passere idem esse poetae atque illud aureum malum, quod impulit Atalantam, ut zonam solueret, id est ut iuueni Hippomeni in coniugium duceretur. Ex quo consequeretur Lesbiam fuisse, quae passeris ope Catulli amorem sibi conciliasset, et non uersa uice, Catullum fuisse, qui Lesbiae, ut eum adamaret, passeris munusculo persuasisset, ut profecto expectandum esset. Quae interpretatio, ne dicam absurda, certe insolentior nobis uidetur, quam ut accipi queatur.³

Cum iam carminis integritas uel inconcinnitas ex omni parte omnibusque rationibus examinata a uiris doctis uidebatur utroqueuersumque sententiae eorum ibant – aliis fauentibus, aliis repugnantibus unitati – Stephen Harrison, uir doctissi-

1) Quorum primus Alexander Guarinus fuit, qui se lacunam hoc loco in codice quodam antiquissimo inuenisse asserit.

2) D. F. S. Thomson, *Catullus*, Toronto 1997, 205–206.

3) Quare Pauli Claes sententiam sequi non possumus, qui scribit: „The poet suggests that he would welcome his girl’s bird as a love token comparable with the golden apple offered to Atalanta“, P. Claes, *Catullus’ Sparrow Uncurtailed*, *Philologus* 140, 1996, 353.

mus litterarumque Latinarum peritissimus, nouam coniecturam proposuit, *tam gratum es* (sc. *passer*) pro *tam gratum est* legendum esse arbitratu:⁴

*tam gratum es mihi quam ferunt puellae
pernici aureolum fuisse malum
quod zonam soluit diu ligatam.*

Quae lectio, ut ipse Harrison fatetur, iam in editione Parmensi anno 1473 impressa apparuit, sed, ut saepe euenit, mox excidit memoria nec ab ullo usque adhuc in lucem reuocata est. Ne quis autem obiciat locutionem *gratum es*, quae ad genus masculinum (*passer*) pertinet, miram esse sermonique Latino inusitatam, haec argumenta auctor affert:

1. Adiectiuum *gratum* pro substantiuo hoc loco usurpatur et significat: *aliquid (tam) gratum*, ut in Hor. Carm. 3,3,17–18 *gratum elocuta consiliantibus Iunone diuis*. Attamen apud Horatium legimus: *gratum elocuta consiliantibus Iunone diuis: Ilion, Ilion fatalis incestusque iudex et mulier peregrina uertit* etc., ex quo patet illud *gratum* Iunonis uerbis ita praemissum esse ac si poeta ‘hoc gratum’ dixisset.

2. Alios praeterea locos Harrison profert, ubi neutrum adiectiuum ad substantiuum alterius generis pertinet, uelut sunt: Pl. Mil. 685 *bona uxor suaue ductu est*, Lucil. fr. 608 Marx *nunc ignobilitas his mirum ac mortificabile*, Cic. Tusc. 2,31 *turpitudine peius est quam dolor*, Verg. Ecl. 3,80–81 *triste lupus stabulis, maturibus frugibus imbres*, Ov. Am. 1,9,4 *turpe senex miles, turpe senilis amor*. Sed cum his in omnibus genus neutrum usu gnomico facile explanari possit – tertia enim persona est – adducit etiam secundae personae exempla, quae sunt: Sen. Con. 2,1,13 *O paupertas, quam ignotum bonum es!*, Sen. Her. O. 1256 (ubi Hercules pestem adfatur) *omne es malum nullumque*. Sed et haec ab illo *gratum es* longe distant, nam adiectiuum neutrum *ignotum* et *omne* ad substantiuum *bonum* et *malum* spectare manifestissimum est.

3. Restat igitur ultimum argumentum: genus neutrum adiectiuum *gratum* facilius redditur per assimilationem anticipatam („anticipatory assimilation“) ad genus neutrum uocabulorum, quae sequuntur – id est ad *malum* et *quod (tam gratum es mihi quam ferunt puellae pernici aureolum fuisse malum, quod . . .)*; sed huiusmodi assimilationis nullum aliud adducit exemplum. Sed etiamsi quid simile in Latino sermone inueniri posset et talis neutrius usus, ut in illo *tam gratum es*, auctorum testimonio comprobaretur, alia, et quidem maior impedit nos causa, quominus coniecturam illam pro plausibili habeamus: sensus uidelicet, qui carmini ascribitur.

Primum, locutio *gratum es* sensui, quem irrealis forma *possem* in uersu 9 exhibet, repugnat. Nam si Catullus passerem hoc modo laudare uoluisset, quod eum in beneuolentia puellae captanda adiuuasset, num coniunctiuo irreali usus esset, qui actionem desideratam, sed numquam effectam exprimit? Hanc inconcinnitatem Harrison explanat,⁵ nobis tamen non persuadet, ut explanationem, quam facit, rectam accipiamus.

4) S. Harrison, Sparrows and Apples: the Unity of Catullus 2, Scripta Classica Israelica 22, 2003, 85–92.

5) „... the image of sexual fulfilment in the transmitted 2b in the mythological union of Atalanta and Hippomenes forms a suitable sequel to and fantasised climax of the erotic yearning of the *passer*-scene.“

Deinde – et hoc est grauioris momenti – ut malum aureum amorem Atalantae Hippomeni, sic uenustus passer (uel carmen de passere) amorem Lesbiae Catullo conciliauisse intellegitur.⁶ Num igitur re uera poeta dicit: ‘tam gratus es mihi, o passer, quem dedi puellae et hoc modo amorem eius mihi conciliaui, quam gratum fuit Atalantae malum aureum quod illa a Hippomene recepit’? Atqui hoc absurdum esset. Et cum Harrison, qui huius contradictionis conscius est,⁷ nihilominus explanare eam conetur („the poet / speaker in Catullus’ erotic poetry is sometimes presented as oscillating between the traditional ‘male’ role of the dominant partner and the ‘female’ role of the subordinate partner“), nihil proficit; nam, ut iam supra diximus, non ideo, quia Catullus se mulieri comparat, prohibemur, quominus comparationem illam approbemus, sed quia res data rei receptae comparatur. Quae cum ita sese habeant, non est cur fragmentum 2b partem carminis 2 esse porro perseueremus.

Warszawa

Włodzimierz Olszaniec

6) „Just as the attractive golden apple provided the way for Hippomenes to Atalanta’s love, so the charming sparrow (and the sparrow-poem) are meant to do the same for the poet-speaker Catullus.“

7) „If we follow the interpretation of the *passer* as love-gift, the bird is his gift as wooer to the *puella*, whereas the apple is a gift received ... as a love-gift by a *puella*, whose pleasure at receiving it he compares to his own enjoyment of the sparrow’s antics; thus in the unified poem of 2 and 2b, the poet / speaker could figure himself as both giver and recipient of love-tokens.“